Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 556. Pelagii Pap. Annus 2. Ivstiniani Impp. Annus 30.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

ſtaque hæc ait, dum Perſæ obſiderent Onogorim antiquum præſidium, quod Chriſtiani Colchi à Protomartyris nomine S. Stephanum nominarunt. Tu vero de his eundem, ſi libet, auctorem conſule.

XIX. Interhæc vero, dum quæ dicta ſunt de Francis in Italia gererentur, Theodibaldum Francorum Regem adoleſcentulum pene puerum morbo miſerrime affectum, ex hac vita migraſſe, idem auctor Agathias affirmat: ob idq; cum ad conſanguineos ſuperſtites Francorum Reges Childebertum atque Clotharium deuolueretur hereditas, inter eos obortã eſſe diſcordiã tradit. De Theodibaldo ſcribit Gregorius, vxorem duxiſſe, annoque regni ſui ſeptimo deceſſiſſe. Porro vna cum regno eius quoque cõiugem inceſtuoſo cõnubio Clotharium accepiſſe narrat, reprehenſum vero à ſacerdotibus eam dimiſiſſe, ſed audi verba ipſius a: *Regnum eius Clotharius Rex accepit, copulans Vuldotradam vxorem eius ſtrato ſuo: ſed increpitus à ſacerdotibus reliquit eam, dans ei Garivaldum Ducem, &c.* Vigebat quidem Gallicanorum Epiſcoporum ſacerdotalis vigor his temporibus aduerſus inceſtuoſos: nam extant plures canones diuerſorum Conciliorum in Gallia habitorum, quibus eiuſmodi crimen Eccleſiaſticis cẽſuris inſectati ſunt ſanctiſſimi Patres illi, quos diximus Aurelianenſiũ Synodorũ ſecundæ, tertiæ, quartę & quintæ, necnon Cõcilii Turonenſis. Sane quidem & aliud id genus crimen eiuſdem Clotharij idẽ Gregorius b refert, nimirum duas ſibi in matrimonium coniunxiſſe ſorores ex quibus ſeptem ſuſcepit filios. Vnde ob tanta hæc facinora haud modicum fuit iiſdem ſanctis Epiſcopis laborandum, vt malos hos exoriri cœptos frutices ſacrarum legum falce ſucciderent.

XX. Sed vt repetamus res Orientis, hoc eodem anno vndetrigeſimo Iuſtiniani Imperatoris tumultuatũ rurſum eſſe à Iudæis & Samaritanis hæreticis in Palæſtina, Miſcellæ auctor ita deſcribit: *Anno vigeſimonono Imperii Iuſtiniani ſeditionem concitauerunt Iudæi & Samaritæ Cæſareæ Palæſtinæ, & facti quaſi in ordine Praſino & Veneto irruerunt in Chriſtianos eiuſdem ciuitatis, & multos interfecerunt, & eccleſias combuſſerunt, & Stephanum ipſius ciuitatis Præfectum in Prætorio peremerunt, & ſubſtantiam eius diripuerunt. Vxor vero illius fugiens in Vrbem, adiit Imperatorem. Qui iuſſit Adamantio Magiſtro militum deſcendere in Palæſtinam, & occiſionem exquirere Stephani: qui requirens eorum, quos reperit, alios ſuſpendit, alios decollauit, alios vero debilitauit & publicauit: & factus eſt timor magnus in omnibus partibus Orientis.* hæc aduerſus Iudæos & Samaritas hoc anno facta ſunt, quos iam antea ſæpius aduerſus Chriſtianos ſæuientes legibus eiuſdem Imperatoris compreſſos, ſæpe ſuperius dictum eſt.

IESV CHRISTI
Annus 556.

PELAGII PAP.	IVSTINIANI IMP.
Annus 2.	Annus 30.

I. QVingenteſimus quinquageſimus ſextus Chriſti annus poſt Conſulatum Baſilij decimusquintus notatur, quo debellatis Frãcis, Alemannis ſuccõciſis, & Gothis in deditionẽ acceptis, à bellis Italia tãdẽ quieuit: eſt tamen vigeret bellum Eccleſiaſticũ, & illud quidem haud leue, iam ante ortum, cum Vigilius Conſtantinopoli primum contra Tria capitula illa ſententiam tuliſſe ferretur, vt diximus: auctum vero, cum cognitum fuit, ab eo Quintam Synodum comprobatam eadem Tria capitula condemnantem: magis autem commotum, cum auditum, quod Pelagius Papa (vt dictum eſt) anno ſuperiori creatus Pontifex, vt Orientalem Eccleſiam ob Quintam Synodum cum Occidentali coniunctam in pace ſeruaret, ipſam Quintam Synodum recepiſſet: maior enim inde facta eſt ſciſſura Occidentalium Epiſcoporum, ad quam conſarciendam idem Pelagius Pontifex impigre laborauit. Adeo enim viſi ſunt exhorruiſſe Occidentales Antiſtites fere omnes aliam Oecumenicam Synodum poſt Quartam admittere, vt nec potuerit Pelagius reperire Epiſcopos Romæ, à quibus conſecraretur, atque opus fuerit presbyterum Oſtienſem (quod numquam antea accidiſſet) loco Epiſcopi munus illud obire, ipſo Pelagio ita iubente.

Quantum n. aduerſati fuerint Quintam Synodum Occidentales, vel ex Caſſiodoro c & aliis poſſumus intelligere, qui licet à communione Catholica nunquam defecerint: nec eandem Quintam Synodum aliquando damnarint: eam tamen ſilẽtio præterierunt, ſatis eſſe putantes in his, quæ ſpectãt ad Catholicam fidem quatuor profiteri Oecumenicas Synodos, in quibus Catholica dogmata aduerſus hæreticos aduerſantes ſunt ſtabilita: nam in ipſa Quinta Synodo actum conſtat de perſonis: quamobrem haud neceſſarium viſum eſt in aſſertione Catholica vna cum quatuor Synodis etiam Quintam eadẽ obſeruãtia, qua illas quatuor, profiteri. Sic & Caſſiodorus feciſſe cognoſcitur, & aliquando etiam S. Gregorius Papa, atque Patres Concilii Bracarenſis ſecundi, vt ſuo loco dicetur. Non dubium enim eſt, pertæſos etiam fuiſſe Catholicos Occidentales profeſſores Quintæ Synodi aliquid eſſe occaſione Chalcedonẽſis Concilij innouatum. Hinc eſt quod ipſe Caſſiodorus in commentario illo, quo de diuinæ lectionis inſtitutionibus agit, vbi de quatuor Synodis ſumma cum laude mentionem habet, aduerſus eos, qui innouarunt, ſic inuehitur d: *Sunt nonnulli, qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid noui, vnde periti videantur, inueniant. Chalcedonenſis autem Synodi teſtis eſt codex encyclicus, qui eius reuerentiam tanta laude concelebrat, vt ſanctæ auctoritati merito iudicet comparandam, quem codicem ἐγκύκλιον id eſt, totius Orbis epiſtolarum à viro diſertiſſimo Epiphanio fecimus in Latinum de Græco ſermone conuerti.* hæc ipſe: intelligens per encyclicum codicem tomum illum epiſtolarum, procurante Leone Imp. à quamplurimis eius temporis Epiſcopis pro defenſione Chalcedonenſis Concilii conſcriptarum, quem continet ſecũdum volumen Conciliorum, de quo ſuo loco pluribus dictum eſt. Neminem vero moueat, ſi idem Caſſiodorus recenſens Oecumenicas Synodos, de Quinta Synodo nullam habuerit mentionem, ſicut & S. Gregorius e aliquando feciſſe viſus eſt, quod (vt ipſe Gregorius teſtatur f) in ea non de fide, ſed de perſonis ſit actum: id enim (vt dicetur) & alii plures feciſſe noſcuntur, cum tamen eidem non contradicerent.

At ne quis putet Caſſiodorum, quem claruiſſe vidimus tempore Theodorici & ſucceſſorum Regum Gothorum ad hæc tempora minime perueniſſe: ex eodem libro Inſtitutionum diuinarum lectionum, quonam tẽpore ætatis eius ille ſit ſcriptus, facile intelligi poterit. Cum enim trigeſimo eiuſdem commentarij capite meminerit libri de Orthographia à ſe conſcripti, idemque teſtetur in eiuſdem voluminis præfatione illum ipſum à ſe elaboratum anno ſuæ ætatis nonageſimotertio: plane intelligere vales, eundem Caſſiodorum his ſuperuixiſſe temporibus, pluraque ſcripſiſſe edidiſſeque de ſacræ lectionis Inſtitutionibus librum illum, vbi quatuor tantum Synodos agnoſcere profitetur, omni exploſa altercantium nouitate. quod (vt dictum eſt) mirum eſſe minime debet, cum & temporibus Gregorij Papæ de eadem Quinta Synodo haud eſſet omnium Orthodoxorum eam recipientium libera certaque aſſertio. Sed ad Pelagium redeamus, Caſſiodorum opportuniori tempore conuenturi.

Pelagius igitur vbi Occidentalium animos ex Oriente veniens exploratos habuit, etſi grauem ſubiiſſe prouinciam ſenſit, & ſupra vires onus ſuſcepiſſe ex eius pondere intellexit: haud tamẽ à cœptis deſtitit, ſed perarduũ opus ſemel aggreſſus, illud perficere manibus (vt aiunt) pedibuſque conatus, omnes neruos intendit, vt Occidentales Epiſcopos, potiſſimum vero Italos ſibi in his obſequẽtes redderet. Verum cum omnes ferme reperit retinentes, tum vero præ cęteris refractarios illos inuenit, qui in ea Italiæ erant regione, quæ hactenus Francis ſubdita fuit, nempe Venetos, Iſtrios, atque Ligures: quos ad Catholicam vnitatem reducere feſtinans, eoſdem

II. c Caſſiod. Inſt. diu. lect. lib. 1. c. 18.

CASSIODORVS QVATVOR TANTVM SYNODORVM ASSERTOR.

d Caſſiod. de diu. lect. c. 11 & 17.

e Greg. lib. 3 epiſt. 33. f Greg. lib. 3. ep. 37

III. DE ÆTATE ET SCRIPTIS CASSIODORI.

IV. PELAGIVS LABORAT PRO QVINTA SYNODO.

litteris Apoſtolicis vocauit, & prouocauit aliorum exemplis. At cum penitus reſilirent, per Narſetem eos cōpelere, atque coercere putauit. Narſes vero, quod pius admodum eſſet, veritus eſt aduerſus Epiſcopos aliquid agere: cum ad eum ita trepidantem Pelagius hæc tunc ſcripſit a:

a Pel. ep. 3. to. 1. ep. Rom. Pont.

V. *Non vos hominum vaniloquia retardent dicentium, quia perſecutionem Eccleſia faciat, dum vel ea, quæ committuntur, reprimit, vel animarum ſalutem requirit. Errant huiuſmodi rumigeruli fabulatores. Nō perſequitur, niſi qui ad malum cogit. Qui vero malum vel factum iam punit, vel prohibet, ne fiat, non perſequitur iſte, ſed diligit. Nam ſi (vt illi putant) nemo nec reprimendus à malo, nec retrahendus à malo ad bonum eſt: humanas & diuinas leges neceſſe eſt euacuari, quæ & malis pœnam, & præmia bonis, iuſtitia ſuadente conſtituunt. Malum autem ſchiſma eſſe, & per exteras etiam poteſtates huiuſmodi homines debere opprimi, & canonicæ Scripturæ auctoritas & paternarum regularum nos veritas docet. Quiſquis ergo ab Apoſtolicis diuiſus eſt ſedibus, in ſchiſmate eum eſſe, non dubium eſt, & contra vniuerſalem Eccleſiam altare conatur erigere.*

VI. *Sed quid de talibus inſertus Chalcedonenſi Synodo canon ſtatuat, gloria veſtra conſideret, vbi poſt alia ſic dicit: Qui à communione ſeipſum ſuſpendit, & collectam facit, & altare conſtituit, & noluerit vocanti Epiſcopo conſentire, & noluerit eidem acquieſcere, neque obedire primo & ſecundo vocanti: hunc omnino damnari, nec vnquam vel orationem mereri, nec recipere eum poſſe honorem. Si enim permanſerit turbas faciens & ſeditiones Eccleſiæ, per exteram poteſtatem tamquam ſeditioſum comprimi. Et beatus Auguſtinus de talibus dicit b: Multa etiam cum inuitis benigna quadam aſperitate plectendis agenda ſunt: quorum potius vtilitati conſulendum eſt, quam voluntati. Nam in corripiendo filio, quantumuis aſpere, numquam paternus amor amittitur: fit tamen, quid nollet, vt doleat, qui etiam inuitus videtur dolore ſanandus.*

b Aug. Enchir. ca. 72.

VII. *Ecce videtis, quemadmodum tanti teſtimonio Patris non perſequatur coercendo talia, ſed diligat emendando tales ſemper Eccleſia. Facite ergo etiam vos (quod ſcientes intentionem Chriſtianitatis veſtræ frequenter hortamur) & date operam, vt talia fieri vltra non liceat, ſed etiam (quod vobis facillimum eſſe non dubito) hi qui talia præſumpſerunt, ad piiſſimum Principem ſub digna cuſtodia dirigantur. Recolere enim debet celſitudo veſtra quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Iſtriam & Venetias tyranno Totila poſſidente, Francis etiam cuncta vaſtantibus, non ante tamen Mediolanenſem Epiſcopum fieri permiſiſtis, niſi ad clementiſſimum Principem exinde retuliſſetis: & quid fieri debuiſſet, eius iterum ſcriptis recognouiſſetis: & inter vbique feruentes hoſtes, Rauennam tamen & is, qui ordinabatur, & is qui ordinaturus erat, prouidentia culminis veſtri deducti ſint.*

VIII. *De Liguribus atque Veneticis & Iſtriis Epiſcopis quid dicam? quos idonea eſt excellentia veſtra ratione & poteſtate reprimere, & dimittitis eos in contemptum Apoſtolicarum ſedium de ſua ruſticitate gloriari: cum ſi quid eos de iudicio vniuerſalis Synodi, quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam Indictionem actum eſt, forte mouebat: ad ſedem Apoſtolicam (quomodo ſemper factum eſt) electis aliquibus de ſuis, qui dare & accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt, & non clauſis oculis corpus Chriſti Dei noſtri, hoc eſt, ſanctam Eccleſiam lacerare. Nolite ergo dubitare, huiuſmodi homines principali vel iudiciali auctoritate comprimere, quia regulæ Patrum hoc ſpecialiter conſtituerunt, vt ſi quis Eccleſiaſtici officii perſona, cui ſubiectus eſt reſtiterit, vel ſeorſum collegerit, aut aliud altare erexerit; ſeu ſchiſma fecerit: iſte excommunicetur, atque damnetur. Quod ſi forte & hoc contempſerit, & permanſerit diuiſiones & ſchiſma faciendo, per poteſtates publicas opprimatur. Ecce domine, quod animus veſter forte timidus eſt, ad perſequi videaris, de Patrum vobis auctoritate hæc breuiter dirigenda curaui: cum mille alia exempla & conſtitutiones ſint, quibus euidenter agnoſcitur, vt facientes ſciſſuras in ſancta Eccleſia, non ſolum exiliis, ſed etiam proſcriptione rerum & dura cuſtodia per publicas poteſtates debeant coerceri.* hactenus ad Narſetem Pelagius.

COERCENDI SCHISMATICI.

IX. Ecce Pelagius Papa (vt vides) ſchiſmaticos Donatiſtarum exemplo vult corripi per ſæcularem Principem, ſicut eos ſanctus Auguſtinus cogendos ſcripſit per Romanum Imperatorem. Cæterum quod ad hæc ſpectat, Facundus Epiſcopus Hermianenſis Africanus (de quo plura ſuperius) acerrimus Trium capitulorum defenſor, in libello, quem ſcripſit ad Mocianum, nequaquam horum cauſam eſſe ſimilem Donatiſtarum ſchiſmati, ſed longe diſparem, aſſerit & lamentatur: reclamabant enim vndique ſchiſmatici, dum vrgerētur, perſecutionem ſe pati à Patribus Orthodoxis: iſti vero ex aduerſo ſchiſmaticos vi coercendos, exemplis ſanctorum Patrum atque legibus probabant Eccleſiaſticis. Sed & quod iidem eſſent in ſchiſmate, inde certo declarabant argumento, quod diuiſi eſſent inprimis ab ipſo capite, ſimulque ab omnibus totius Catholicæ Eccleſiæ Patriarchalibus ſedibus.

X. Quod igitur idem probe ſciret Pelagius, quanto cum detrimento ſchiſmatici permitterentur ſua inſania agere, atque ſeorſum colligere conuenticula: vrget opus, ad Narſetem iterum ſcribens his verbis c:

c Pelag. ep. 4.

EPISCOPI AQVILEIENSIS ET MEDIOLANENSIS SCHISMATICI.

Illud eſt, quod à vobis popoſcimus, & nunc iterum poſtulamus, vt Paulinum Aquileienſem pſeudoepiſcopum, & illum Mediolanenſem Epiſcopum ad clementiſſimum Principem ſub digna cuſtodia dirigatis: vt & iſte, qui Epiſcopus eſſe nullatenus poteſt, quia contra omnem canonicam conſuetudinem factus eſt, alios vltra non perdat: & ille, qui contra morem antiquum eum ordinare præſumpſit, canonum vindictæ ſubiaceat. Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particularem Synodum congregare. Sed quoties aliqua de vniuerſali Synodo aliquibus dubitatio naſcitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut ſponte ii, qui ſalutem animæ ſuæ deſiderant, ad Apoſtolicam ſedem pro recipienda ratione conueniant: aut ſi forte (ſicut de talibus ſcriptum eſt d: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit) ita obſtinati & contumaces extiterint, vt doceri non velint: vos ab eiſdem Apoſtolicis ſedibus aut attrahi ad ſalutem quoquo modo neceſſe eſt: aut ne aliorum perditio eſſe poſſint, ſecundum canones per ſæculares comprimi poteſtates. hæc ad Narſetem Pelagius.

d Prou. 18.

XI. Cæterum etſi Epiſcopi à capite ſchiſmate ſciſſi eſſent, populi tamē non ita. Etenim quod longo vſu didiciſſent, ſecundum hierarchicum in Eccleſia ſemper ſeruatum ordinē, eſſe non poſſe legitimum ſacerdotem, qui à Romano Pontifice non habeat communionem, nec viuere in corpore membrum, quod à connexione capitis ſit abſciſſum: hac de cauſa cum ſcirent eiuſmodi eſſe à Romani Pontificis coniunctione diſciſſos eoſdem, non vt paſtores legitimos cognoſcebant, ſed vt alienos auerſabātur & fugiebant, & ad eum quem vere ſciebant in Eccleſia omnium vniuerſalem eſſe paſtorem accurrebant porrigentes querelarum libellos aduerſus eos, quos patiebantur ſchiſmaticos ſacerdotes. Hos cum audiret Romæ Pelagius, officio non defuit, vt oues à luporum inſultibus vindicaret: ſed quod probe noſſet haud eiuſmodi litteris permoueri, nec legationibus reprimi, ſed magis ex iis paſtoralibus admonitionibus eoſdem reddi proteruos, ſæcularis eſſe opus auxilio poteſtatis intelligens, in eamdem ſententiam de comprimendis his, qui à ſede Apoſtolica ſunt diuiſi, hæc ad Narſetem Præfectū ſcribit e:

POPVLI RECVRRVNT AD PELAGIVM.

e Pelag. 5.

XII. *Quali nos de gloriæ veſtræ ſtudiis iudicio gratulemur, non ſolum veſtram, ſed multorum ac pœne omnium credimus habere notitiam: & idcirco nunc de his, quæ vobis præſentibus ibi fieri ſtudemus ſiducialiter apud gloriam veſtram duximus conquerendum. Thracius* ſiquidem atque Maximilianus nomina tantum Epiſcoporum habentes, & Eccleſiaſticam ibi vnitatem perturbare dicuntur, & omnes Eccleſiaſticas res ſuis vſibus applicare: in tantum vt contra versum eorum, id eſt, Maximilianum, vſque ad nos per tam longum iter neceſſitate compellente, quidam infatigabiliter venientes, preces offerrent. Ob quam cauſam Petrum presbyterum ſedis noſtræ, ſed & præclarum Notarium ad eadem loca duximus deſtinandos, vt ea, quæ canonicis ſtatutis à prædictis pſeudoepiſcopis comperierint commiſſa, vel digna debeant ibi vltione compeſcere, vel eoſdem ad nos vſque perducere.*

PELAGIVS RVRSVS EXCITAT NARSETĒ CONTRA SCHISMATICOS.

* Terra

XIII. *Et ideo ſalutantes paterno affectu gloriam veſtram, petimus, vt præfatis, qui à noſtra ſede directi ſunt, in omnibus præbeatis auxilium: nec putetis alicuius eſſe peccati, ſi huiuſmodi homines*

SCHISMATICI COMPRIMENDI.

com pri-

comprimantur. Hoc enim & diuinæ & humanæ leges ſtatuerunt, vt ab Eccleſiæ vnitate diuiſi, & eius pacem nequiſſime perturbantes, à ſecularibus etiam poteſtatibus comprimantur. Nec quicquam maius eſt, vnde Deo ſacrificium poſſitis offerre, quàm ſi id ordinetis, vt hi, qui in ſuam & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compeſci. hęc Pelagius ad Narſetem, ad quem eodem argumento alias (vt vidimus) litteras dedit. Cæterum ipſe litteris permotus Pelagij Narſes, cum aduerſus ſchiſmaticos moueretur, non vi, ſed hortatione cum eis agendum putauit: cum illi contra, eum à Pelagij communicatione debere recedere hortarentur: quod cum Narſes deteſtaretur, ipſi ſchiſmatici eum cum ignominia veluti ſchiſmaticum auerſati ſunt. Cum autem hæc omnia ipſe Narſes Pelagio ſignificaſſet, idem Pontifex ad ipſum iſta reſcripſit a:

XIV. a Pelag. ep. 4. *Relegentes litteras excellentiæ veſtræ, de iniuria quidem, quam vobis iniquorum hominum præſumptio ingeſſit, valde doluimus. Sed quia ſicuti occulto Dei iudicio animam veſtram etſi per aliorum iniquitatem & ſuperbiam à contaminatione ſchiſmatis cuſtodit, agimus omnipotenti Deo gratias, qui etiam de malis hominum actibus bona operari conſueuit. Nec enim ſine illius prouidentia factum eſſe credendum eſt: vt inſenſati & peruerſi homines ad hoc vſq; proſilirent, vt ſuam diuiſionem, Catholicam eſſe credentes Eccleſiam, à ſua vos pollutione prohiberent. Sic enim per miſericordiam Dei, etiam neſcientibus illis, hoc factum eſt, vt à ſchiſmaticorum factione eruti, Catholica, quam diligitis, ſeruari vos contigiſſet Eccleſiæ. Quamuis igitur veſtra per illorum ſcelus vtilitas facta ſit: non tamen impunitam iniquorum hominum præſumptionem [illegible] permittere. Si enim hoc quod in veſtram gloriam præſumpſerunt, non fuerit vindicta compreſſum: quid in minoribus non valeant poſiti, ambigi vltra non debet.*

XV. *Exercite igitur in talibus debitam auctoritatem: & ne eis amplius talia committendi ſpiritus creſcat, veſtris coercitionibus reprimantur. Ad hoc ſiquidem Dei nutu etiam contra vos talia præſumpſerunt: vt talia vobis corrigentibus, ab eodem ſcelere alios ſciatis Deo propitiante, munire. Quales autem ſint, qui Eccleſiam fugiunt, Euphraſii vos ſcelera (quæ amplius occulta Deus eſſe noluit) euidenter informant: qui in homicidio quidem nec hominum neceſſitudinem, nec fratris charitatem, nec ſacerdotij perſeuerantiam cogitauit. Inceſtuoſo autem adulterio etiam ipſius vindictæ abſtulit modum: quia ſi adulterium puniat, non remanet in quo vindicetur inceſtus. Si inceſtuoſo ingerat pœnam, inultum autem adulterium remanebit. Ecce de quo collegio ſunt: qui quantum ad ſuperbiam ſuam, iniuriam vobis inferre moliti ſunt: & quantum ad prouidentiam Dei, impulſores vos Eccleſiæ ſeruauerunt. Auferte tales ab iſta prouincia: vt munus oblatum vobis à Deo opprimendi ſchiſmatis occaſione. Quod tunc plenius fieri poterit, ſi auctores ſcelerum ad clementiſſimum Principem dirigantur, & maxime Eccleſiæ Aquileienſis inuaſor, qui in ſchiſmate, & in eo maleficio nec honorem Epiſcopi poterit retinere, nec meritum.* hactenus de his Pelagius.

XVI. Hic autem Epiſcopus Aquileienſis, de quo agitur, Paulus nomine, poſt Macedonium ſedit annos viginti duos, vt habent monumenta Eccleſiæ Aquileienſis. Quę vero geſta ſint per Narſetem Pelagii Papæ impulſionib. ex ſcriptorum inopia latēt. ſed & quę reliqua fuerint Pelagij aduerſus ſchiſmaticos ſtudia, licet præter hęc altum ſit ſilentium: ex his tamē, quæ dicta ſunt, ea, quæ ignorāmus, poſſumus intelligere, cum conſtet conflatum ſemel ſchiſma minime conſopitum, ſed maioribus in dies incrementis auctū, vt ex Gregorii Papæ epiſtolis ſatis liquet. At quidnam profecit Pelagius per Narſetem? multum quidem: nempe vt nonnulli Italiæ Epiſcopi veluti membra capiti ſubderentur. Aquileienſis tamen Epiſcopus & aliquot ipſi inhærentes obſtinatiſſimi permanſere, adeo vt Eccleſia illa vſq; ad Sergii Papæ tempora in ſchiſmate diuiſa permanſerit ad centum ferme annorum ſpatium, licet omnes ſucceſſores Pelagii, vt eum cum aliis ad Catholicam vnitatē reducerēt, nauiter laborauerunt. At de his hæc modo ſatis.

XVII. Hoc eodem anno, nempe decimoquinto poſt Conſulatum Baſilii, idem Pelagius Papa cum ſuſcepiſſet legatos à Childeberto Francorum Rege, necnon ab Epiſcopo Arelatenſi Sapaudo, ſiue Sabaudio (ita enim ſubſcriptus reperitur Concilio ſecundo Matiſconenſi) ad eoſdē reſcripſit, imprimiſq; ad eundem Epiſcopum Arelatenſem litteras dedit, quibus eidem ſuas denegauit vices, & impertitus eſt pallium: accepimus eas ab Eccleſia Arelatenſi: ſic enim ſe habent:

Dilectiſſimo fratri Sapaudo Pelagius.

Maiorum noſtrorum, operante Dei miſericordia, cupientes inhærere veſtigiis, & eorum actus diuino inuitamine in omnibus imitari: charitati tuæ per vniuerſam Galliam ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, cui diuina gratia præſidemus, vices iniungimus: hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc Eccleſiæ Rom. teſtantur ſcrinia à ſanctis Patribus & deceſſoribus noſtris tuis deceſſoribus eſſe conceſſum: vt illius ſtabilis petræ ſempiterna ſoliditas, ſupra quā Dominus Saluator noſter propriam fundauit Eccleſiam, à Solis ortu vſque ad occaſum primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum auctoritate tam per ſe, quam per Vicarios ſuos firmiter obtineret. Nos autem (ſicut dicit beatus Apoſtolus b) non in immenſum gloriamur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi vſque ad vos: nec enim quaſi qui non pertingentes ad vos ſuperextendimus nos. Sic ergo participata ſolicitudine, ſanctam Dei vniuerſalem Eccleſiam noſtri per Dei gratiam rexere maiores. Hinc eſt quod & nos fraternitati tuæ huiuſmodi curas iniungimus, vt ſedis noſtræ Vicarius inſtitutus ad inſtar noſtrorum in Galliarum partibus primi ſacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem, vel diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſeruatis Patrum regulis & ſedis Apoſtolicæ conſtitutis, diuini iudicij conſideratione diſpenſes, talemque te in cuſtodiendis canonibus ſancta conuerſatione demonſtres, qualem tanti loci decet eſſe Vicarium.

XIIX. EPIST. PELAGII PAP AD SAPAVDVM AREL. EPISC.

b 2. Cor. 10.

XIX. *Memor ſententiæ beati Pauli Apoſtoli, qua Timotheum diſcipulum ſolicite magiſter informat, dicens c: Teſtor coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis eius, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando: vt erogetur, chariſſime frater, auctoritas Pontificis & paſtoris manſuetudo, per nos tibi [illegible] Vicarij, ſicut & deceſſoribus tuis, noueris gratia largitate conceſſum. Quia licet apud Dominum non ſit acceptio perſonarum, tuam tamen charitatem etiam carnali generatione conſtat eſſe præclaram. Et ideo conuenit, vt quanto in te Dominus multiplicia bona largitus eſt, tanto in ſacerdotalibus actibus probitatem morum exhibeas clariorem. Scriptum eſt enim d: Cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Vſum quoque pallii tibi alacriter affectuoſeque* concedimus, pariter etiam pallium dirigentes: vt in tanti loci faſtigio conſtitutus præclaro quoque habitu decoreris, ſtaturis omnibus Eccleſiaſtici gradus hominibus nullam haberi licentiam ſine Formata tuæ charitatis ex quacumque Galliarum parte longiores petere regiones, ne prohibita præſumentes ipſi ſe proprio priuare videantur officio. Hæc igitur per Flauianum diaconum & Neſtorium ſubdiaconum Eccleſiæ tuæ, per quos epiſtolas tuas accepimus, ſcribenda eſſe curauimus, in quorum etiam conuerſatione laudabile tuæ charitatis agnouimus inſtitutum. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. 3. Non. Febr. anno 15. P. C. Baſilii V. C.* Ad ipſum vero Francorum Regem hanc ſcripſit epiſtolam:

c 1. Tim. 5.

d Luc. 12.

* affectuoſe.

XX. *Domino filio merito glorioſiſſimo atq; præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius.*

*Excellentiæ veſtræ litteras poſt illas, quas legati veſtri detulerunt, etiam per eos, quos frater & Coepiſcopus noſter Sapaudus * ad nos direxit, reuerenter accepimus: & ſalutis veſtræ, quæ nobis ſemper optanda eſt, cognoſcentes indicia, gratias diuinæ pietati retulimus, exorantes clementiam eius, vt vos largiſſima pietate ſua conſeruet incolumes. Litteras autem noſtras præfato conſacerdoti noſtro Sapaudo ſecundum petitionem veſtram direximus, vſum pallii pariter concedentes: quia in ſcrinio Eccleſiaſtico huiuſcemodi exempla reperimus, quibus oſtenditur Arelatenſibus Epiſcopis à ſanctæ recordationis deceſſoribus noſtris hæc fuiſſe collata. Propterea ſalutantes cultu regalibus ſoſpitis debito poſtulamus, vt ita eum atque Eccleſiam eius gratia excellentia veſtra tueatur ac foueat, ne quem per vices noſtras iniungi, propitiante Domino poſtulatis, in aliqua parte cuiquam Gallicanorum ſacerdotum, vel cuiuslibet ordinis Eccleſiaſtici perſonis (quod non oportet) contemptibilis habeatur, & in ea auctorita-*

* Sabaudius.

EPIST. PELAGII PAP AD CHILDEBERT. REGEM FRANC.

te ſancta

ta ſanctæ ſedi Apoſtolicæ & genio veſtro, qui pro eo ſuffragatores acceditis (quod abſit) videatur in aliquo derogari. Perincolumem excellentiam veſtram Deus noſter cuſtodiat, domine fili glorioſiſſime atque præcellentiſſime. deſunt, quibus data eſt dies & Conſulatus: ſed eodem tempore, quo ſuperior datam eſſe argumentum ipſius ſignificat. Cum autem ea data tertio Non. Februarij habeatur, præmittenda eſt reliquis ab eodem Pelagio Papa ſiue ad eundem Sabaudium, ſiue Childebertum Regem poſtea eodem anno datis, atq; imprimis quæ ſcripta legitur decimo octauo Kalendas Iunias ad eundem Sabaudium Epiſcopum, quæ ſic ſe habet:

Dilectiſſimo fratri Sapaudo Pelagius.

XXI. EP. ALIA PELAGII AD SAPAVD. EPIS. *Quia legati filii noſtri glorioſiſſimi Regis Childeberti beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum ſanctorum martyrum reliquias popoſcerunt: neceſſe habuimus hominem bonum ſubdiaconum de clero noſtro dirigere, qui eas vſque ad fraternitatem tuam cum reuerentia deportaret. Et ideo ſalutantes, hortamur, vt quæſita occaſione ſiue nauis, ſiue terreno cum talibus perſonis, de quibus nulla periculi poſſit eſſe ſuſpicio, ad nos eum, iuuante Domino remittatis. Ea autem, quæ pro honore charitatis tuæ a nobis ſupradicti legati popoſciſſe noſcuntur, parati ſumus, Deo iuuante concedere. Sed niſi litteras tuas per te acceperimus, ſicut etiam deceſſores noſtri poſtulantibus tuis deceſſoribus præſtiterunt, ſuperfluum iudicauimus vltro tranſmittere: ſed mox ad nos, iuuante Domino, cum de clero tuo cum litteris direxeris, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, promittimus, nos eſſe facturos. Præterea hortamur, vt viro magnificentiſſimo filio noſtro Patricio Placido genitori tuo dicas, vt quod de penſionibus poſſeſſionum Eccleſiæ noſtræ collectum eſt, aut per ſuum hominem, aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem: quia Italiæ prædia ita deſolata ſunt, vt ad recuperationem eorum nemo ſufficiat. Et ſi poſſibile eſt, vt nobis de ipſis ſolidis ſaga tumentacia quæ pauperibus erogari poſſint, & tunicas albas, aut cucullas, vel colobia, aut ſi qua alia ſpecies in Prouincia ſunt, quæ pauperibus (vt diximus) erogari debeant, exinde facite comparari, & opportunitate nauis inuenta dirigite: vt maximas fraternitati tuæ gratias referamus, dum huiuſmodi ſolicitudinem noſtram prouidentia charitatis tuæ releuari contigerit. Hortamur etiam, vt Anaſtaſium fratrem Pauli Defenſoris Eccleſiæ ad nos faciatis occurrere. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Data 18. Kal. Iun. anno 15. P.C. Baſilij V.C.* hæc Pelagius ad Arelatenſem Epiſcopum: quibus intelligis ſtudium Regis Chriſtianiſſimi erga Sanctorum cultum, cum ad accipiendas Sanctorum reliquias Romam ad Pelagium Papam legationem miſit: & reuerentiam illis exhibitam ab ipſo Romano Pontifice, dum eas non credidit homini laico, ſed mittendas putauit per Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconum virum pium. Porro hæc menſe Maio eſſe à Pelagio Papa ſcripta vidiſti. Quo item anno, poſt Conſulatum ſcilicet Baſilij decimoquinto, idem Pelagius Papa menſe Iulio has ad eundem Arelatenſem Epiſcopum litteras perbreues dedit.

Dilectiſſimo fratri Sapaudo Pelagius.

XXII. EIVSDEM PELAG. PAP. EPIST. AD EVNDEM, SAPAVD. TERTIA. *Quæ nobis iam omnipotentis Dei gratia fuerit operata, ad charitatem tuam credimus fuiſſe perlatum: pro qua re ad vos * deſtinari conuenerat, vt viſitatione communi magno inuicem gaudio frueremur. Nos tamen fraternæ memores charitatis, per præſentium portitorem, occaſione reperta officium fraternæ ſalutationis impendimus. Optamus, vt alterna in timore Domini charitate viuentes, mutuo frequenter reſoneamur alloquio. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. 4. Nonarum Iuliarum, anno 15. P.C. Baſilii V.C.* Ruſum vero eodem anno menſe Septembri ad eundem idem Pelagius Papa dediſſe litteras reperitur, quæ ſic ſe habent:

* nos

Dilectiſſimo fratri Sapaudo Pelagius.

XXIII. EPIST. EIVSDEM AD EVNDẼ QVARTA. *Fraternitatis veſtræ grata nobis colloquia, Felice viro honeſto deferente, ſuſcepimus: quibus recenſitis, communi Domino ac Deo non inſufficientes gratias egimus, quia incolumitatem dilectionis tuæ, quæ nobis eſt deſiderabilis, eorum teſtificatione cognouimus. Ea autem, quæ in noſtris laudibus facundia oris veſtri diſſeruit, quamquam vos congruentem vobis rem feciſſe manifeſtum ſit, is tamen nihil noſtrum ex omnibus, quæ dicta ſunt, agnoſcentes, verecundiam magis incurrimus, illud doctiſſimi viri ad animum perducentes, qui dixit: Sicut vera laus ornat, ſic falſa caſtigat. Multum enim vita noſtra ac morum verba charitatis veſtræ menſuras excedunt. Optamus tamen, vt Sanctorum omnium precibus & veſtris orationibus faciat nos Deus tales exiſtere, quales vos eſſe ex bona voluntate pinxiſtis. Atque ideo ſalutantes debito charitatis affectu, indicamimus nos, inuenta ante hoc paruum tempus occaſione quorumdam de prouincia veſtra Romam venientiũ, tanto amoris veſtri feruore fuiſſe ſucceſos, vt impatienter ferremus huiuſmodi opportunitatem ſilentio præterire.*

XXIV. *Scribentes namque glorioſiſſimo communi filio Regi Childeberto, etiam ad charitatem tuam litteras, quales ſub breuitate temporis potuimus dictare, tranſmiſimus. Quædam autem nobis (ſicut ſcripſiſtis) proprio ore, litterarum veſtrarum in compendio portitor intimauit, quæ nos non mediocriter promouerunt, admirantes nimirum, qua ratione tam noua res fuerit vſurpata: & neceſſe habemus ſolicite *, vt ſi quis venerit, non facile nobis tanquam ignaris ſubrepere videatur. Melius tamen fraternitas tua faciet, ſi cognoſcens illos, quos ſuſpicamini ad nos eſſe venturos, & vos perſonam inſtructam ex omni parte dirigatis, quæ eis poſſit obſiſtere. Quia cum epiſtola veſtra nihil de cauſa contineat: ſi hic, qui nobis modo ex voluntate veſtra verbo ſuggeſſit, tunc apud nos nequeat inueniri, videbimur nos accuſatoris officium ſuſcepiſſe. Quod ſi à tua charitate perſona dirigitur: noſtrum eſt & pro affectu, quem vobis impendimus, & pro rei geſtæ nouitate, ſalua æquitate, competentem, quem dilectio tua meruerit, præbere fauorem. Dominus te incolumem cuſtodiat, frater chariſſime. Dat. 11. Kalendas Octobris anno 15. P.C. Baſilii V.C.* Quænam autem iſta fuerint, quib. Epiſcopus Arelatenſis iudicandus fuerit ab ipſo Romano Pontifice, ex epiſtola eiuſdem Pelagij datã ad Childebertum Francorum Regem aliqua ex parte poſſumus intelligere, quæ ſic ſe habet:

* periclitari.

Domino filio glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius.

XXV. PELAGII PAP. AD CHILDEBERT. REGEM FRANCEI. *Cum celſitudini veſtræ multa dona miſericordia diuina contulerit, pro amore tamen quem Eccleſiæ eius ſinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores: quoniam inter alias regni veſtri curas pro tranquillitate ſanctæ Eccleſiæ præcipuam ſolicitudinem vos certum eſt exhibere. Quæ cum ita ſint, miramur quia & quantum nobis præſentium portitorum ſuggeſtio patefecit, paſſi eſtis ſubripi vobis Sapaudium fratrem & Coepiſcopum noſtrum Arelatenſis ciuitatis Antiſtitem, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis primatus priuilegio & ſedis Apoſtolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Epiſcopi ab ipſo ordinati in iudicium ſequentis * ciuitatis Epiſcopi (quod nulla Eccleſiaſtica lege vel ratione conceditur) iudicandum iuberetis occurrere: vt ipſo de conculcato loci ſui præiudicio conquerente, illum, qui vſurpauit, neceſſe ſit de illicita præſumptione culpari. Pro quibus Chriſtianitatis veſtræ confidentia freti paterno ſtudio poſtulamus, vt ſi quid eſt tale factum, congrua ſatiſfactione celeriter amputetur, nec vllum ſibi exemplum in perturbatione Eccleſiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et huiuſmodi cauſis ſolicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra Eccleſiaſticas regulas petentibus concedatis: quia (quod bene cognitum eſt religioſæ menti veſtræ) non aliter Deo noſtro velle poteſt regalis deuotio famulari, niſi prouidentia eius Eccleſiaſticorum ordinum ſeruet integritatem. Incolumitatem excellentiæ veſtræ Deus noſter cuſtodiat, domine fili glorioſiſſime atque præcellentiſſime.* hactenus epiſtola ad Regem Francorum quæ ſine die & Conſulatu licet poſita habeatur, datam tamen anno quintodecimo poſt Conſulatum Baſilii, quæ dicta ſunt, docent. Quo pariter anno ab eodem Pontifice ſcripta legitur epiſtola menſe Decembri ad eundem Childebertum Francorum Regem per Ruffinum legatum miſſa. Quod enim Græcis conſenſiſſet Pelagius in probanda Quinta Synodo, à ſchiſmaticis in ſuſpicionem adductus eſt de violata Catholica fide: cuius rei gratia idem Rex Ruffinum legatum Romam ad ipſum Pontificem miſit id exploratum. Quo audito, mox idem Pontifex has ad eumdem Regem litteras reddidit:

Domino filio glorioſiſſimo atque præcellentiſſimo Childeberto Regi Pelagius Epiſcopus.

XXVI. ALIA PELAGII AD CHILDEB. REGEM. *Ruffinus vir magnificus legatus excellentiæ veſtræ nobis dixit, quod & in prouinciis Galliarum quidem femina ſcan-*

dalorum

laborum ſparſerunt, dicendo quid contra fidem Catholicam (quod Dominus non patiatur) admiſiſſem. Et quamuis à tranſitu diuæ memoriæ Theodoræ Auguſtæ nullas de fide quæſtiones Eccleſia Dei in partibus Orientis, Deo miſerante formidet, ſed quædam capitula extra fidem fuerint agitata, de quibus longum eſt vt epiſtolari poſſint compleſti ſermone: hoc breuiter ſecundum admonitionem præfati magnifici viri Ruffini: ad ſanandum animum veſtrum, vel omnium fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum in Galliis regionibus conſiſtentium, faciendum eſſe perſpeximus, dicentes anathematizare nos, & alienos ab æternæ vitæ præmiis iudicare, quicumque ab illa fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in ſuis epiſtolis prædicauit, & quam Chalcedonenſe Concilium ſequens eundem Præſulem edita diffinitione ſuſcepit, in vna ſyllaba aut in vno verbo, vel in ſenſu errauit, vel errauerit aliquando, aut declinauit, vel declinauerit aliquando.

XXVII. *Quibus ſe ita habentibus, non attendat celſitudo veſtra, nec fratres noſtri Epiſcopi fabulas eorum hominum, qui ſcandalis detectantur. Quoniam hæc ipſa ita contigerunt, vt cum pater veſter clementiſſimus Imperator omnes hæreſes, quæ Conſtantinopoli Epiſcopos ſuos & eccleſias cum magnis redditibus & vaſorum diuerſitate vſque ad tempora Imperii eius habuerant, euerteret, & ſublatis baſilicis eorum atque redditibus, omnibuſque aliis rebus, Catholicis tradiderit: hi ergo, qui in ipſis erroribus remanſerunt, compluſculi ſunt in ruinam, & ægre vehementer, qualiter Eccleſiam Catholicam ſcindant atque perturbent. Nam & ſic in Italiam (quamdiu nos in Conſtantinopoli fuimus) de nomine noſtro chartas mittebant, dicendo, quaſi nos diceremus fidem Catholicam fuiſſe corruptam: nunc vero etiam contra nos afferunt has chartas tamquam noſtras, vt neſciatur, qui eas miſit: ſed ſic faciunt Chriſtiani, qui in Conſtantinopoli ſunt, dum eos conſtet non eſſe Chriſtianos, maxime tamen Neſtorianæ hæreſis homines, pro eo quod Neſtorius duas naturas in Chriſto ſeparatas quidem & diuiſas aſſeruerit, fraudulenter moliuntur dicere longe ab intellectu eſſe Chalcedonenſis Synodi & Papæ Leonis, dum Neſtorium pro eo, quod duas diuiſas naturas aſſereret, ipſo dogmate beati Leonis conſtet eſſe damnatum.*

XXVIII. *Hoc breuiter inſinuanda eſſe excellentiæ veſtræ curauimus, vt illæ ardor fidei veſtræ & vnitatis amor non alicuius peruerſi hominis fabulas aut chartas ſuperfluas permittat attendi: quia & ſic ſimplices aliquos Epiſcopos & neſcientes prima elementa fidei ſollicitauerunt, vt nec rationem ipſam intelligant, nec diſcernant quantum ſit bonum à fide Catholica non errare, ſed ſi qua ſunt alia, quib. crimen debemus pariter ſancta Eccleſia refutare. Quis enim patiatur, vt Neſtorii vel ſectatorum eius blaſphemias pro eo, quod duas naturas in Chriſto ſeparatas, id eſt diuiſas eſſe aſſeruerit, Catholicæ profeſſioni concordare?*

XXIX. *Vt autem nos diu tribulationes Conſtantinopoli pateremur, illa res fecit, quam breuiter ſuperius tetigimus: quoniam viuente Auguſta quicquid in Eccleſiaſticis cauſis mouebatur, ſuſpectum habuimus: nam pater veſter clementiſſimus Imperator & B. Papæ Leonis dogma & Chalcedonenſis Synodi fidem nullo modo patitur violari. Reliquias vero tam beatorum Apoſtolorum, quam ſanctorum martyrum iam quidem per ſeruos Dei monaſterii Lirinenſis direximus: ſed & nunc quas legati veſtri popoſcerunt, transmiſſe ſignauimus, deputantes hominem bonum ſubdiaconum ex clero Eccleſiæ noſtræ, à quo vſque ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Sapaudum, iubente Domino, deferantur. Dat. 3. Id. Decemb. anno 15. poſt Conſ. Baſilii V. C. per Ruffinum legatum.*

XXX. *Pelagius miſericordia Dei Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ vrbis Romæ exemplari epiſtolæ noſtræ ſubſcripſimus.*

Poſt hæc autem idem Rex, ad omnem dubitationem tollendam, adiecit, vt peteret ab ipſo Pontifice exactiorem fidei profeſſionem: quod & fecit anno ſequenti eã ſcribens: habes ipſam collocatam in fine Pelagij. Has vero omnes epiſtolas ab Eccleſia Arelatenſi accepimus ex antiquiori ſcripto codice. Hæc geſta ſunt cum Eccleſia Gallicana. Quæ iam autem hoc eodem anno geri contigerit cum Epiſcopis Italiæ prouinciæ Tuſciæ ex litteris eiuſdem Pelagij ad eos datis menſe Februarij ſatis apparet: extant ipſæ integræ ex eodem codice acceptæ, ſicque ſe habent.

Dilectiſſimis Fratribus Gaudentio, Maximiliano, Gerontio Iuſto, Terentio, Vitali, & Laurentio per Tuſciam Annonariam Pelagius.

Directam à vobis relationem, Defenſore Eccleſiæ noſtræ Iordane deferente, ſuſcipientes ſatis mirati ſumus, ita vos Apoſtolicæ auctoritatis oblitos, vt diuiſionem veſtram ab vniuerſali Eccleſia meo etiam volueritis (quod abſit) conſenſu firmari: & quos decuit popularem ignorantiam ſacerdotali doctrina comprimere in contumeliam ſedis Apoſtolicæ, plebis velle ſequi iudicium. Nec iſta dicentes, iniuriam noſtram dolemus, quibus donante Domino propoſitum eſt in manſuetudine ſupportantes omnia, ſtatum pacis vinculo cuſtodire: ſed (ſicut diximus) diuiſionem veſtram à generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non poteram, vehementer ſtupeo. Cum enim beatiſſimus Auguſtinus Dominicæ ſententiæ memor, qua fundamentum Eccleſiæ in Apoſtolicis ſedibus collocauit, in ſchiſmate eſſe dicat, quicumque ſe à Præſulis earundem ſedium auctoritate vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtat eſſe Eccleſiam, niſi quæ in Pontificibus Apoſtolicarum ſedium eſt ſolidata radicibus: quomodo vos ab vniuerſi Orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria ſecundum conſuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno Apoſtolicæ ſedis per ſucceſſionem Epiſcopatus præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem. XXXI. TVSCIÆ EPISCOPI A PELAGIO PAP. OB SCHISMA REPREHENSI.

XXXII. *Sed ne apud vos ſeu te, vel apud greges, qui vobis commiſſi ſunt, de fide noſtra aliqua poſſit remanere ſuſpicio: hoc dilectionem veſtram certiſſime noſſe deſidero, me illam, donante Domino, cuſtodire fidem, quam ſacra Apoſtolorum doctrina conſtituit, quam Nicænæ Synodi firmauit auctoritas, quam Conſtantinopolitana, Epheſina prima, & Chalcedonenſis ſanctarum Synodorum explanauere ſententiæ, nec quicquam de præfatarum Synodorum definitionibus vel imminuiſſe me aliquid, vel auxiſſe, aut in aliquo permutaſſe: ſed omnia, Deo propitio, quæ ab illis de fidei puritate conſcripta ſunt, inuiolabiliter cuſtodire: anathematis nihilominus iudicio ſubdens, quiſquis ad ſupraſcriptarum quatuor Synodorum fidem, vel ad beatiſſimi Leonis Præſulis Apoſtolicæ ſedis tomum, qui in Chalcedonenſi eſt Synodo confirmatus, aliqua ex parte vel infirmandum quoquo modo, vel in dubium (quod abſit) deducendum aliquando conſenſerit. Hac igitur dilectio veſtra fidei noſtræ profeſſione munita: ignorantiam hominum (ſicut ſacerdotes decet) in ſpiritu manſuetudinis edocere feſtinet, & à praua intentione modis omnibus reuocare, atque vnitati Eccleſiæ reddere. Quod ſi quis forte etiam poſt hæc aliquem ſibi ſupereſſe credit ſcrupulum: ab inſano tumultu deſinens, ad nos magis venire feſtinet: vt ex his, quæ dubitat, rationabili ſatisfactione percepta lætus, Deo propitio, cognita veritate, vniuerſali reformetur Eccleſiæ. Nos enim (ſecundum Apoſtolicam a ſententiam) parati ſumus ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt fide: quia in nullo nos à Sanctis patribus, cuſtodiente nos diuina gratia cognouimus deuiaſſe. Dominus vos incolumes cuſtodiat, fratres chariſſimi. Dat. 15. Kalend. Mar. anno 15. P. C. Baſilii V. C.* hæc Pelagius, qui cum vbiq; tumultuari audiſſet, ſchiſmaticis omnes Eccleſias aduerſus ipſum Romanum Pontificem concitantibus, expedire iudicauit de fide Catholica ad vniuerſum populum Chriſtianum circulares (quas dicunt) litteras dare, quas ex eodẽ codice hic tibi reddere, operæpretium iudicauimus: ſic enim ſe habent: a 1. Pet. 3.

Pelagius Epiſcopus vniuerſo populo Dei. XXXIII. b Rom. 10. PELAGII DE FIDE CATHOL. CIRCVLARIS EPIST.

Vas electionis beatiſſimus Paulus b cum de Iudæis in Chriſto necdum credentibus loqueretur, Zelum eos Dei habere profeſſus eſt: ſed ne ex hoc ſine culpa eſſe crederentur, conſequenter adiecit, ſed nõ ſecundum ſcientiam: vt eos neceſſarie per doctrinam à Deo ſibi creditam oſtenderet emendandos. Quod teſtimonium noſtro etiam tẽpori conuenire, charitas veſtra non ambigit: quia etſi Zelum Dei in quorundam mentibus eſſe deprehendimus, in hoc tamen, quod ſuſpicionibus quibuſdam ſine notitia veritatis ſe concuſſerunt atq; concutiunt, & quod ſe à viſceribus vnicæ matris Eccleſiæ nefaria animoſitate diſcerpunt, ſine ſcientia eos eſſe non dubium eſt. Et poſſemus quidem totius cauſæ rationem ad ſedandos rumores hominum, diuina nobis cooperante miſericordia fiducialiter explicare; nihilque contra fidem Patrum, contraque quatuor Synodorum firmitatem vllatenus eſſe tentandum, lucidiſſimis approbationibus demonſtrare, magiſque id actum, vt memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili ſoliditate conſiſteret.

ret. Sed quia hoc his, qui lacte potius, quam ſolido cibo nutriendi ſunt, neceſſarium eſſe non duximus, vt (ſicut memoratus Doctor gentium a) inter perfectos loquenda ſit ſapientia: hoc interim, quod etiam paruulis abunde ſufficiat, ad notitiam omnium deferendum eſſe perſpeximus. Id autem eſt, vt fidem meam annexa ſubter profeſſione definiam, in qua, Deo propitio, & recta me Apoſtolorum doctrinæ & Patrum inhærere veſtigiis euidenter appareat: vt per vos, qui Zelum Dei etiam cum ſcientia poſſideris, cæteris innoteſcat, quos, operante Domini noſtri gratia, non ſine veſtra mercede ab irrationabili diuiſionis ſuæ malo confidimus liberandos.

a 1. Cor. 8.

XXXIV. *De ſanctis vero quatuor Conciliis, id eſt, Nicæno trecentorum decem & octo, Conſtantinopolitano centum quinquaginta, Epheſino primo ducentorum, ſed & Chalcedonenſi ſexcentorum triginta, ita me protegente diuina miſericordia ſenſiſſe & vſque ad terminum vitæ meæ ſentire toto animo & tota virtute profiteor, vt eas in ſanctæ fidei defenſione & damnationibus hæreſum atque hæreticorum, vtpote ſancto firmatas Spiritu, omnimoda deuotione cuſtodiam: quarum firmitatem, quia vniuerſalis Eccleſiæ firmitas eſt, ita me tueri ac defendere profiteor, ſicut eas deceſſores meos defendiſſe non dubium eſt: in quibus illum maxime & ſequi & imitari deſidero, quem Chalcedonenſis Synodi auctorem nouimus extitiſſe: qui ſuo congruens nomini, eius ſe membrum, qui de tribu Iuda leo extitit, viuaciſſima fidei ſolicitudine euidenter oſtendit. Similem igitur ſupraſcriptis Synodis reuerentiam me ſemper exhibiturum eſſe confido. & quicumque ab eiſdem quatuor Conciliis abſoluti ſunt, me eſſe Orthodoxos habiturum, nec vnquam in vita mea. Deo nos in omnibus protegente, aliquid de ſancta & vera prædicationis eorum auctoritate minuere.*

XXXV. *Sed & canones, quos ſedes Apoſtolica ſuſcepit, ſequor & veneror, & Deo adiuuante defendo, neque vel de hac profeſſione reticere, aut diſcedere aliquando promitto. Epiſtolas etiam beatæ recordationis Papæ Cæleſtini, Sixti, & præ omnibus B. Leonis, nec non etiam ſucceſſorum eius Hilari, Simplicii, Felicis, Gelaſii, Anaſtaſii, Symmachi, Hormiſdæ, Ioannis, Felicis, Bonifacii, Ioannis alterius, & Agapeti pro defenſione fidei Catholicæ, & pro firmitate ſupraſcriptarum quatuor Synodorum, & contra hæreticos tam ad Principes, quam ad Epiſcopos, vel quoſlibet alios per Orientem & Illyricum atque Dardaniam, aliaſque prouincias diuerſis temporibus miſſas inuiolabiliter, adiuuante Chriſto Domino noſtro, me cuſtodire profiteor: & omnes, quos ipſi damnauerunt, habere damnatos, & quos ipſi receperunt, præcipue venerabiles Epiſcopos Theodoritum & Ibam, me inter Orthodoxos venerari.*

XXXVI. *Hæc eſt igitur fides mea, & ſpes, quæ in me dono miſericordiæ Dei eſt: pro qua maxime paratos nos eſſe debere, beatus Petrus b præcipit ad reſpondendum omni poſcenti nos rationem. Cum hac profeſſione me viuere opto, cum ipſa ante tribunal Chriſti aſſiſtere: per hanc à peccatis meis abſolui me credo, ad dexteram gloriæ diuina miſericordia deportandum. Quicumque autem aliud ſenſerit, crediderit, prædicauerit, hunc anathemizat ſancta & vniuerſalis Eccleſia Dei. Deus vos incolumes cuſtodiat, filij dilectiſſimi, Amen.* Ad hæc quidem compulſus eſt Pelagius Papa, cum obrutus vbique eſſet ſchiſmaticorum calumniis, quod Quintam probando Synodum, Quartam aboleuiſſe, vel ſaltem corrupiſſe iactarent. Profuerunt iſta quidem multis, non tamen omnib. etenim in pluribus Italiæ locis diutius eiuſmodi viguiſſe ſchiſmaticos liquet.

b 1. Pet 3.

XXXVII. Hoc eodem tempore (vt Agathias c tradit) regnum Francorum in maximũ diſcrimen adductum eſt ex bello ciuili conflato inter fratres Regem Childebertum atque Clotharium ob diuiſionem bonorum Theodibaldi Regis defuncti: cui & domeſticum bellum acceſſit, cum Chramnus Clotharij filius cõtra patrẽ arma mouit, quo tempore idem Clotharius aduerſus Saxones rebellantes in expeditione eſſet. Sed omnibus his omiſſis, hic ea tantum referanda ſunt, quibus Dei aduerſus ſacrilegos vltio his temporib. non ſemel progreſſa narratur. Ac primum de Leone Pictauienſi, qui inter alios filium in patrem cõmouit, hæc notatu digna Gregorius d: *Habebat Chramnus & Leonem Pictauienſem ad omnia mala perpetranda grauem ſtimulum, qui nominis ſui tanquam leo erat in omni cupiditate ſæuiſſimus. Hic fertur quadam vice dixiſſe, quod Martinus & Martialis confeſſores nihil Fiſci viribus vtile reliquiſſent: & ſtatim percuſſus à virtute confeſſorum ſurdus & mutus effectus, amens eſt mortuus. Venit enim miſer ad baſilicam ſancti Martini Turonos, celebrauitque vigilias, dedit munera: ſed non cum reſpecit virtus conſueta: cum ipſa enim, qua venerat infirmitate regreſſus eſt.* inhiaſſe hominem rapacem in bona Eccleſiæ, vltio ſecuta declarat.

c Agath. l. 2.
BELLVM CIVILE ET DOMESTICVM AFFLIGIT GALLIAS.
d Greg. Turon. l. 4. c. 16.
LEO PICTAVIENSIS SPERNIT IN SANCTORVM VIRTVTE.

XXXVIII. Complures alios his ciuilium diſcordiarum temporibus inieciſſe manus in bona Eccleſiaſtica, nonnulla alia exempla diuinæ vltionis in eos immiſſa demonſtrant: quod & teſtatur primus canon e Pariſieñſis Concilij poſt annum ſequentem (vt ſuo loco dicemus) habiti: hæc enim habet in fine poſt nonnulla aduerſus huiuſmodi facinoroſos ſtatuta: *Accidit autem, vt temporibus diſcordiæ* (hæc enim ſignat tempora) *ſupra prouiſionem beatæ memoriæ Clodouei Regis res Eccleſiarum aliqui competiſſent, ipſaſque res inuaſiſſent, improuiſa morte collapſi, propriis hæredibus reliquiſſent. Placet & hos quoque, niſi res Dei admoniti à Pontifice, agnita veritate, reddiderint, ſimiliter à ſancta communionis participatione ſuſpendi: quoniam res Dei, quæ anteceſſores eorum immatura morte credenda ſunt peremiſſe, non debent filii vlterius poſſidere. Iniquum eſſe cenſemus, vt potius cuſtodes chartarum, per quas aliquid à fidelibus perſonis legitur derelictum, quam defenſores rerum creditarum (vt preceptum eſt) iudicemur.* hæc Patres in Concilio Pariſienſi.

e Concil. Pariſ. 2. c. 1.

XXXIX. Sed & præter hos bonorum Eccleſiarum inuaſores regij quoq; miniſtri eadem Fiſco addicere conſueuerũt: cuius rei gratia iidem in eadem Synodo Patres hæc in ſecundo canone poſuerunt: *Perpetuo autem anathemate feriatur, qui res Eccleſiæ confiſcare, aut competere, aut peruadere perículoſa infeſtatione præſumpſerit.* periculoſa, inquiunt, infeſtatione, quod ſcilicet (vt dictum eſt, atque dicetur) multæ aduerſus eiuſmodi vltionis diuinæ exempla edi ſolerent. hæc canon ſecundus eiuſdem Concilij, de quo poſt ſequentem annum ſuo loco dicturi ſumus: ſed cœpta proſequamur.

XL. Ad eiuſmodi vero contra patrem ſceleratum bellum ſuſceptum idem perditiſſimus filius Chramnus patrem ſuum Childebertum Regem Clotharij fratrem ſibi, fœdere icto, coniunxit. Sed quænam eſſent obuentura, clerici Diuionenſes in hunc modum ex diuinis Scripturis deprompto oraculo notum fecere: ait enim Gregorius: *Poſitis, clerici, tribus libris ſuper altarium, id eſt, Prophetiæ, Apoſtoli, & Euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt Chramno quid eueniret, oſtenderet: aut ſi ei feliciter ſuccederet, aut certe ſi regnare poſſet, diuina potentia declararet. ſimulque vnam habentes conuinentiam, vt vnuſquiſque in libro, quod primum aperiebat, hoc ad Miſſas etiam legeret. Aperto ergo primum omnium Prophetarum libro, reperiunt: Auferam f maceriam eius, & erit in direptionem: Pro eo, quod debuit facere vuas, fecit autem labruſcas. Reſerat que Apoſtoli librũ, inueniunt g: Ipſi enim diligenter ſcitis, fratres, quod dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet: & cum dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus illis ſuperueniet interitus, ſicut dolores parturientis, & non effugient. Dominus autem per Euangelium ait h: Qui non audit verba mea, adſimilabitur viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, deſcendit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta eſt ruina eius magna.* Iſta ſunt in ſuſcepto bello prænunciata de Chramno, ac pariter adimpleta in exemplum iuſti iudicij magni Dei: ſed quomodo id acciderit, dicemus inferius, ſimulque diuinitus oſtenſa prodigia. Subijcit enim iſta Gregorius i:

f Iſa. 5.
g 1. Theſ. 5.
h Matt. 7.
i Greg. l. 4. c. 18.

XLI. *Auſtrapius Dux Chramnum metuens, in baſilicam S. Martini confugit: cui tali in tribulatione poſito non defuit diuinum auxilium. Nam cum Chramnus ita eum conſtringi iuſſiſſet, vt nullus ibi alimenta præbere præſumeret, & ita arctius cuſtodiretur, vt nec aquam quidem ei haurire liceret: quo facilius compulſus inedia, ipſe ſponte ſua de baſilica ſancta periturus exiret: accedens quidam vaſculum illi cum aqua ſemiuiuo detulit ad potandum. Quo accepto velociter Iudex loci aduolauit, ereptumq; de manu eius terra diffudit. Quod velox Dei vltio & beati Antiſtitis virtus eſt ſubſecuta. Ea namque die Iudex, qui iſta geſſerat,*

DE AVSTRAPIO DVCE.